GRAMMATICA LINGUÆ SINENSIS.

CAPUT PRIMUM.

De Vocibus Sinensibus.

§. 1. *Vocum Sinensium numerus.*

VOCES omnes linguæ Sinicæ sunt monosyllabæ, & indeclinabiles, adeoque paucæ numero, scilicet 324. & quamvis quædam videantur polysyllabæ, tamen per modum monosyllabarum pronuntiantur.

Nota 1° singulas dictiones constare variis accentibus, adeoque juxta hos diversimodè pronuntiandas. Accentus autem sunt quinque, qui ferè respondent tonis musicis, *ut, re, mi, fa, sol.*

Hæ notæ sunt Patris Couplet S. J.

Nota 2° eos accentus vel sine vel cum aspiratione pronuntiari; hinc unica dictio, v. g. *po*, decem modis pronuntiari potest.

Nota 3° initiales litteras *f, g, l, m, n, ÿ, j, s, u, x*, non admittere aspirationem, ut per se patet.

Nota 4° dari plurimas dictiones, quæ nonnisi duos tresve admittant accentus; quasdam etiam non habere nisi tres quatuorve litteras & significationes.

Nota 5° vocales finales ut *e, o, u*, pro diverso charactere & significatione pronuntiari modò clarè, modò obscurè, sic ut non aut vix percipiatur, quod præcipuè locum habet in littera *e* quæ notatur in nostris Dictionariis unico puncto, v. g. *ciĕ, ÿĕ, kiĕ, liĕ, piĕ, siĕ, tiĕ*. At verò *o* finale obtusè,

hoc eſt quaſi clauſo ore pronuntiatur, aut clarè, ſeu ore aperto; & *u* quidem in dictionibus *çu* & *ſu* ſubinde obtusè quaſi *ou*, ſubinde clarè ſeu quaſi cum ſibilo inter dentes pronuntiatur.

Catalogus omnium dictionum Sinenſium, proüt à primis Miſſionariis ad uſum Europæorum confectus eſt.

Ç caudatum quaſi eſſet *tça*, *tçe*.

ça	çe	çi	ço	çu
çai	çem	çiam		çui
çam	çeu	çiao		çum
çan		çie		çun
çao		çien		çuon
		çieu		
		çim		
		çin		
		çio		
		çiu		
		çiue		
		çiuen		
		çiun		

C ut K

cam			co	cu	*u* pronuntiatur velut *ou* Gallicum.
can				cum	
cao					

Ch

cha	che	chi	cho	chu	*ch* pronuntiatur uti *ch* Luſitanicè, v. g. *chamar*, ac ſi eſſet *tch*.
chai	chen	chim		chua	
cham	cheu	chin		chuam	
chan				chue	
chao				chuen	*chu* clarè pronuntia.
				chui	
				chum	
				chun	

F

fa	fe	fi	fo	fu	*u* pronuntia ut *ou*.
fam				fuen	
fan				fum	

G

	ge	gin		gueij	*g* pronuntia ut j caudatum seu Hispanicum.
	gen				

H

hai	he	hi	ho	hu	*h* non hîc pronuntia more Europæo, sed uti apud nos pronuntiatur magnus *ham*, Imperator Tartarorum; ita de reliquis quæ ab *h* initium sumunt.
ham	hem	hia	hoa	hum	
han	hen	hiaj	hoai	huon	
hao	heu	hiam	hoam		
		hiao	hoan		
		hie	hoe		*u* pronuntia ut *ou*.
		hien	hoei		
		hieu	hoen		
		him			
		hin			
		hio			
		hiu			
		hiue			
		hiuen			
		hium			
		hiun			

I

ij	ije	ijm	ijo	iju	*ije* modò clarè, modò obscurè pronuntia.
ija	ijen	ijn		ijue	
ijai	ijeu			ijuen	*ijo* modò clarè, modò obtusè pronuntia.
ijam				ijum	
ijao				ijun	*u* clarè pronuntia.

J caudatum.

jam	jem		jo	ju	*u* clarè pronuntia.
jao	jen			jui	
	jeu			juen	
				jum	

K

ke	ki	kie	ko	kiu
kem	kia	kien		kiue
ken	kiai	kieu		kiuen
keu	kiam	kim		kium
	kiao	kin		kiun

Kie pronuntia modò clarè, modò obscurè.

L

la	le	li	lo	lu
lai	leam	lie		lui
lam	leao	lien		lum
lan	lem	lieu		lun
lao	leu	lim		luon
		lin		
		lio		
		liu		
		liuen		

Lie pronuntia modò clarè, modò obscurè.

Lo modò clarè, modò obtusè.

u uti *ou*.

M

ma	me	mi	mo	mu
mai	mem	miao		muen
mam	men	mie		mui
man	meu	mien		mum
mao		mieu		muon
		mim		
		min		

m finale pronuntia ore aperto ferè uti *ng*, excipe ea quæ terminantur in *um* uti *cum*, *fum*, *ḥum*, *lum*, *mum*, *num*, *pum*, *ſum*, *tum*, *um*.

N

na	nem	ni	no	nu	ngai
nai		niao		nui	ngan
nam		nie		num	ngao
nan		nien		nun	nge
nao		nieu		nuon	ngen
		nim			ngeu
		nio			ngo
		niu			

ng ferè ut *g* pronuntiatur.

O

o

P

pa	pe	pi	po	pu
pai	pem	piao	poi	puen
pam	peu	pie		pum
pan		pien		puon
pao		pim		
		pin		

Pu pronuntia ut *pou*.

pe pronuntia modò clarè, modò obtusè.

Pie modò clarè, modò obſcurè.

Q

qua	que	quo
quai	quei	quon
quam	quen	
quan		

S

ſa	ſe	ſi	ſim	ſo	ſu
ſai	ſem	ſiam	ſin		ſui
ſam	ſen	ſiao	ſiue		ſum
ſan	ſeu	ſie	ſiuèn		ſun
ſao		ſien	ſiu		ſuon
		ſieu	ſiun		

So, *ſu*, pronuntiè modò clarè, modò obtusè.

Sie modò clarè, modò obſcurè.

T

ta	te	tie	to	tu
tai	tem	tiao		tum
tan	teu	tie		tun
tan		tien		tuon
tao		tim		

Tie pronuntia modò clarè, modò obſcurè.

V

u	ve	vi	vo	um
va	ven		von	uu
vai				
vam				
van				

u pronuntia ut *ou*

ua pronuntia uti duplex *u W*.

uan uen uo uon pronuntia modò naturaliter, modò uti duplex *u W*.

X

xa	xe	xi	xo	xu	*x* pronuntia ut *ch* Gallicum.
xai	xen	xim	xoam	xua	
xam	xeu	xin	vel	xuai	*xo* pronuntia modò clarè, modò obtusè.
xan			xuam	xue	
xao				xui	
				xun	*xu* clarè pronuntia.

§. 2. *Harum vocum juxta normas Latinarum explicatio.*

NOTA aliquas eſſe facilis & primò obviæ pronuntiationis.

ç pronuntia more Hiſpanorum.

Ci & *ce* more pleriſque præter Italos uſitato, uti in his vocibus, *cibus*, *cetus*.

Ch pronuntia more Hiſpanorum, vel ſicuti Itali litteram *c* ante *e* & *i*.

G ante *e* & *i* pronuntia more Italorum, e. g. *genus*, *gigas*.

Ubi initio dictionis eſt *h*, pro aſpiratione & gutturalis eſt littera.

Quæ per *j* Hiſpanicum pronuntia ut Hiſpani, ſed quaſi *g* eſſet ante *j* more Italorum, ore tamen magis clauſo, & cum aliquo ſibilo.

In his, *ngai*, *ngo*, tonus exprimitur quadamtenus ſicut *ng* una littera, non autem binæ videantur.

M ut finale pronuntia ſicut *ng*, ita tamen ut *g* liquidiùs, prorſus uti Hiſpani ſuum *m* finale pronuntiant.

§. 3. *De tonis ſeu pronuntiatione diverſa vocum earundem.*

SUNT hi toni quinque, & non plures, ſcilicet ´ ` ˘ ¯ ^. Omnes vel leniter vel aſperè pronuntiantur. Aſperitatis hæc nota ¯ eſt. Porro ^ naturâ ſuâ aſperè ubicunque pronuntiandus eſt.

Ita unius & ejuſdem vocis diverſæ pronuntiationes eſſe poſſunt, e. g. kó, kò, kŏ, kō, kô, kṓ, kṑ, kō̆, kō̄, kō̂.

Litteras *o* & *e* finales pronuntia clarè diſtincteque, & ore aperto.

Ubi autem videris ſuperſcriptum eis punctum (·) pronuntiabis dictas litteras obtuſo ſono & quaſi clauſo ore, ex. g. *ko ko mie*.

Idem punctum litteræ *u* ſuperſcriptum indicat ſyllabam eâ terminatam, cum ſibilo pronuntiari debere; ſibilum anſeris imitare, linguâ ad anguſtias dentium inferiorum & ſuperiorum applicatâ.

Histonis omnibus ad ſuperiores 318.* voces additis fiunt apud Sinas voces diverſæ 1179. in quibus lingua tota gentis conſiſtit.

* P. Couplet 324 Voces eſſe refert

§. 4. *Qualiter pronuntiandi quinque toni.*

VOx *Kiu xim* ſive acuta, pronuntiatur quaſi ultima littera eſſet duplicata, continuato ſono ſurſum illam acutè extendendo, quod fiet ſi ubi ſyllabam pronuntiare cœperis, os ſenſim magis aperias, & vocem inflectas, quaſi fortiùs altiuſque ultimam litteram expreſſurus quàm ſub initium.

Xam xim, ſive gravis, deſcendendo velociter & quaſi uno ictu exprimitur, ita tamen ut nullo pacto contrahatur ſonus ultimæ litteræ, ſed ut irati ſolent quaſi repente cadere permittatur

Ge xim, hoc eſt inverſus, circumflexus, parum differt ab acuto, niſi quod producta in ore ultima littera quaſi circumducitur aſcendendo, vocem in ore glomerando, cum aſcenſu aliquo, & ultimæ litteræ productione.

Pim xim uti eſt littera recta, ita pronuntiatur rectiſſimè, conſervata voce qua cœpiſti, nec eam elevando nec deprimendo, ita tamen ut ultima littera aliquantulum recta continuetur, quaſi duplex eſſet. Id fiet, ſi poſtquam ſyllabam pronuntiaſti, os ampliùs non moveas, ſed in eodem ſitu contineas, vocem emittendo quo cœpiſti modo.

Cho pim eſt hæc vox contraria voci *ge xim:* quod enim in illa glomerando vocem & aſcendendo, hîc fit deſcendendo voce graviori & aſperiori, & ubicunque poteſt intermixto ſpiritu aſpero.

禾

CAPUT SECUNDUM.

De Nominibus, Pronominibus, & Verbis.

§. 1. *De Nominibus & eorum declinatione.*

HIC tu nec generum, nec casuum varietatem quæras, nec declinationum.

Sæpe Nomen à Verbo non differt, eademque vox pro varia positione Nomen substantivum, adjectivum, & Verbum esse potest. ex. g. *ngai*, amo; *siam*, cogito, & Nomen & Verbum sunt. Si enim quid aliud post illas voces ponatur, sic ut actionem significent, Verba sunt: si autem de illis vocibus quid enuntiatur, Nomina sunt, e. g. *ngo ngai ni*, ego amo te: *ngo siam ta*, ego cogito illum; & tum quidem verba sunt. At si ultimo ponantur loco, erunt Nomina: *ngo tie ngai*, meus amor; *ngo tie siam*, mea cogitatio.

Adjectivum semper præponitur Substantivo; eadem vox si postponatur, jam fit Substantivum. ex. g. *hao gin*, bonus homo; *gni tie hao*, jam illud *hao* est Substantivum, & hominis bonitatem significat.

Substantivis etiam sæpe additur particula *çu*, quæ Substantivis plurimis propria est. ex. g. *fam çu*, domus; *co çu*, fructus. Sed adverte solis illis Substantivis addi quæ nunquam Adjectiva esse possunt.

Casus & Numeri nonnisi ex compositione percipiuntur, numerusque pluralis fit per particulam *men*, quæ omnibus Nominibus communis est. ex. g. *gin gin men*, homines; *ta*, ipse; *ta men*, ipsi.

Quando autem Nomen ipsum vox aliqua præcedit, quæ ipsa per se multitudinem significat, tum post Nomen nullo modo *men* ponitur, atque ita barbarum censeretur dicere, *to gin men*, voca aliquos homines.

Particula *tie* sæpe facit genitivum tam singularem quàm pluralem postposita Nominibus, e. g. *gin tie hao*, hominis bonitas; item *gin men tie hao*, hominum. De cætero nulli apud Sinas sunt casus.

Tie quoque particula Pronominibus postposita illa derivata facit, ex. gr. *ngo tie keu, ni tie keu, ta tie keu*, meus, tuus, illius vel suus canis.

§. 2.

§. 2. De Pronominibus.

PRONOMINA etiam indeclinabilia, nec nisi tria, *ngo*, *ni*, *ta*. Pluralis fit addendo particulam *men*.

Quis & quisnam dicitur *xui*, & est indeclinabile, nec admittit pluralem. Ex dictis patet linguæ facilitas.

§. 3. De Verborum conjugationibus.

SOLUM habent propriè Præsens, Præteritum, & Futurum. Passiva significatio exprimitur particula *pi*.

Quando Verbo nulla particula additur, sed sola Pronomina *ngo*, *ni*, *ta*, tum præsens est tempus.

Pro Præterito servit particula *leao*, quæ propriè Præteritum significat, & rem jam perfectam.

Pro Futuro servit particula *ciam*, quæ Futurum significat, ex. gr.

PRÆSENS.

ngo ngai, ego amo.
ni ngai, tu amas.
ta ngai, ille amat.

Plur.

ngo men ngai, nos amamus.
ni men ngai, vos amatis.
ta men ngai, illi amant.

PRÆTERITUM.

ngo ngai leao, ego amavi.
ni ngai leao, &c.
ta ngai leao,

Plur.

ngo men ngai leao, &c.

FUTURUM.

ngo ciam ngai, &c. sum ut amem, vel amabo.
ngo men ciam ngai, &c. sumus ut amemus, vel amabimus.

Optativum fit per voces *po pu te*, quæ propriè significant utinam. Hæ superioribus temporibus & numeris præpositæ conficiunt Optativum præsens, & præteritum, & futurum, ex. gr. *pa pu te ngo ngai*, *pa pu te ni ngai*, &c.

Præteritum autem tam in activis quàm in passivis & Optativis fit per vocem *quo* ante *leao* positam, quæ propriè rem præteritam significat, ex. gr. *ngo ngai quo leao*, ego jam amavi; *ngo pi ta ngai quo leao*, ego ab illo fui amatus; *pa pu te ta ngai quo leao*, utinam amassem; *pa pu te pi ta ngai quo leao*, utinam ab illo amatus fuissem.

Verba pleraque quæ apud Sinas actionem significant, etiam passivam habere possunt significationem; sed in activa significatione semper Verba illis Nominibus præponuntur supra quæ cadit actio, & ipsum agens semper præponitur Verbo, nulla omnino exceptione facta: nam Nomen Verbo præpositum semper agere intelligitur, ex. g. *ngo ngai ni*, ego amo te; *ngo ta ni*, ego verbero te: absurdissimè verò & sine ullo sensu diceretur, *ngo ni ngai*, *ngo ni ta*.

In passiva autem significatione semper Verbum postponitur, interpositâ inter Nomina particulâ *pi* faciens passivam, ex. gr. *ngo pi ta ngai*, ego ab illo amor; *ngo pi ta ta*, ab illo verberor. Præteritum verò & Futurum passivum iisdem fiunt particulis, uti in activis diximus.

CAPUT TERTIUM.

De Præpositionibus, Adverbiis, Interjectionibus, & Conjunctionibus.

§. I. *De Præpositionibus.*

QUAMVIS lingua Sinica tam paucis vocibus constet, ut suprà dictum est; copiosissima tamen, quia scilicet eadem vox non modò Verbum aut Nomen esse potest, sed etiam sæpe Præpositio, Adverbium, &c.

Prępositiones etiam Sinæ habent aliquas, quæ per ipsum usum tales fiunt, non quod naturâ suâ tales sint; nam etiam Verbi & Nominis voces illo modo adhibitæ, prępositionis usum sępe habent. In his aliquas dabimus, *cien*, ante; *heu*, post; *xam*, supra; *hia*, infra, & similia. Quæ omnes etiam postpositiones esse possunt; prępositiones quidem quando Verbo conjunguntur, nam tum Verbum pręcedunt; postpositiones verò quando Nomini conjunguntur, nam Nomen

ſequuntur: ex. gr. *cien co*, priùs facio; *heu lai*, poſtea venio; *xam xiu*, ſuperiùs vado; *hia ceu*, inferiùs venio; quæ, ut vides, prępoſitiones ſunt: at cùm dicitur *fam cien*, domum ante; *muen heu*, portam retro ſeu poſt; *cho xam*, menſam ſupra; *ti hia*, terram infra, &c. tunc ſunt poſtpoſitiones. Idem intellige de *nui*, intus; *vai*, foris, ac ſimilibus.

§ 2. *De Adverbiis.*

VOCES quæ propriè Adverbia dicta ſint, nullas habet lingua Sinenſis, ſed ipſo uſu & conſtructione fiunt, & ſępe Latinorum Adverbiorum ſenſus pluribus vocibus apud Sinas componitur, vocandi nullum, aut hortandi, nec demonſtrandi: fiunt enim hæc per verba & nomina, reliqua ferè omnia exprimit ut ſequitur.

Optandi, *pa pu te*, utinam.

Interrogandi, *ju ho*, quomodo; *ho ju*, quo pacto; *cem mo*, qúo modo.

Reſpondendi, *xi*, ita; *çu gen*, certè.

Confirmandi, *chim tie*, verè; *co gen*, certiſſimè; *chin chim tie*, veriſſimè.

Negandi & prohibendi, *pu*, non; *mo*, non; *nu*, non eſt; *pu io*, non convenit; *pu gen*, non ita, minimè.

Dubitandi, *hoe*, fortè; *hoe cho*, fortaſſis.

Eligendi, *nim*, melius vel potius hoc quàm illud.

Comparandi, *kem*, multo, magis; *kem to*, multo magis; *kem kao*, multo minus; *kem hao*, melius.

Congregandi, *tum*, ſimul; *je tum*, unà, pariter.

Separandi, *lim*, præterea; *lim vai*, ſeparatim.

Intendendi, *kin*, diligenter; *kiam*, fortiter.

Remittendi, *keu cie*, negligenter, remiſsè.

Temporis, *kin ge*, hodie; *mim ge*, cras; *co ge*, heri; *tien ge*, perindie.

Loci, *cho li*, hîc; *çu*, hinc, hac.

Numeri, *je çu*, ſemel; *ul çu*, bis; *cham cham*, ſæpe ſæpius.

Ordinis, *ti ie*, vel *teu ie*, primùm; *hen mien*, vel *heu lai*, poſtmodum, deinde; *chum*, poſtremò, in fine, &c.

Eventus, *hoe gen*, fortè, fortuitò.

Similitudinis, *ju*, ſicut.

Diverſitatis, *pu ju*, non ut; *pu tum*, diſſimile.

Qualitatis, *xao*, parùm; *to*, multum; *keu*, ſatis.
Excludendi, *tan*, ſolùm.
Rei nondum perfectæ, *cha pu to*, ferè, fermè, &c.

§. 3. *De Interjectionibus.*

INdignantis aut exprobrantis, *pſi*.
Dolentis, *eu*, malum, dolor!
Admirantis, *ki*, rara res! non ordinaria!
Exclamantis, *u hu*, quæ reſpondent noſtris ô, & proh!
Item *çai* admirantis eſt, & *hu* admirationis cum interrogatione.

§. 4. *De Conjunctionibus.*

COnjunctionum rarus uſus, nec neceſſarius.
Copulativæ ſunt *kie*, &, vel, etiam; *cie* & *ye*, etiam.
Disjunctiva eſt *ye pu*, etiam non.
Adverſativa, *ſui gen*, quamvis, quamquam; *gen*, verumtamen.
Cauſalis, *ki gen*, quandoque.
Conditionalis, *jo*, ſi; *cai*, namque. Omnes autem ſunt præpoſitivæ.

§. 5. *De Numeris, eorumque particulis.*

PArticulas numericas in lingua Sinica multas & obvias habebis, earumque frequens eſt uſus, ac planè ſolius linguæ: cùm enim unam rem, duas aut tres vel plures dicere vis, barbarè ac prorſus inconcinnè uni rei particulam alteri propriam adhiberes; atque ita, quamvis apud nos unus homo, una navis, &c. dicitur: item duo homines, duæ naves, &c. apud Sinas tamen illud *unum* & *duo* per propriam rebus particulam determinatur. Idem intellige de alio quocumque numero rerum; inter numerum enim & rem ſemper interponitur particula propria. Sunt autem numeri hi:

je, unus; *ul*, duo, *ſen*, tres; *ſu*, quatuor; *u*, quinque; *lo*, ſex; *cie*, ſeptem; *pa*, octo; *kieu*, novem; *xe*, decem; *je xe*, undecim; *ul xe*, viginti; *ſen xe*, triginta, &c. *pe*, centum; *ul pe*, ducenta; *je tien*, mille; *je van*, decem millia; *ul van*, viginti millia, &c. *xe van*, centum millia; *je pe van*, millio, &c.

Particulæ

Particulæ numericæ.

je co dicitur de hominibus. *je co gin*, unus homo; *je co fu gin*, mulier una, &c.

je quey dicitur de hominibus honoratis. *je quey gin*, una persona honorata, &c.

je che dicitur de navibus, de canibus, de gallinis, & de qualibet re sola, quæ alioquin pares esse debent, ut sunt calcei, tibialia, &c. unde dicitur *je che chuen*, una navis; *je che keu*, unus canis; *je che hiai*, unus calceus; *je che ki*, una gallina, &c.

je tiao dicitur de rebus longis & pendulis. *je tiao lu*, unum thuribulum; *je tiao xim*, unus finis, &c.

je vi dicitur de piscibus propriè, *je vi yu*, unus piscis.

je ken dicitur de ligulis, *je ken tai*, una ligula.

je cham dicitur de papyro, mensa, sedili. *je cham chi*, unum folium papyri; *je cham cho*, una mensa; *je cham y*, unum sedile.

je pa dicitur de cultellis, gladiis, flabellis. *je pa tao*, unus cultellus aut gladius; *je pa xen*, unum flabellum.

je xoam dicitur de omnibus paribus, quæ naturâ suâ paria esse debent. *je xoam hiai*, par calceorum; *je xoam va*, par tibialium.

je kien dicitur de cubiculis. *je kien fam*, una domus, seu unum cubiculum.

je fo dicitur de integris involucris pannorum aut sericæ vestis. *je fo pu*, unus pannus; *je fo cheau*, unum sericum. Dicitur etiam de picturis: *je fo hoa*, una pictura.

je muy dicitur de atramento Sinensi. *je muy me*, unum atramenti frustum: item de unionibus & rebus pretiosis. *je muy chin*, unus unio.

je chu dicitur de pistillis. *ie chu hiam*, unum pistillum.

ie pie dicitur de involucris pannorum & vestis sericæ. De equis autem propriè, *ie pie ma*, unus equus.

ie puen dicitur de libris. *ie puen xu*, unus liber.

ie tim dicitur de biretis & pileis. *ie tim kin*, unus pileus.

ie ço dicitur de domibus majoribus & mœnibus. *ie ço fam*, una domus; *ie ço chim*, unus murus seu mœnia.

ie teu propriè de bobus seu vaccis. *ie teu meu*, unus bos.

ie muen propriè de ſclopetis & majoribus etiam bombardis. *ie muen chum*, una bombarda.

ie to propriè de floribus, *ie to hoa*, unus flos.

ie lim de veſtibus. *ie lim pao*, una toga.

ie tai, vel *ie puon* de comœdiis. *ie tai* vel *ie puon hi*, una comœdia.

ie co de arboribus. *ie co xu*, una arbor.

ie mien de vexillis. *ie mien ki*, unum vexillum.

ie tao de papyri faſciculis & epiſtolis. *ie tao xeu xi*, unum poëma.

ie chin de ſellis geſtatoriis & curribus. *ie chin kiao*, una ſella geſtatoria.

ie quon de calamis & penicillis. *ie quon pie*, unus penicillus.

ie çan ſive *chan* de laternis. *ie çan*, una laterna.

ie co de frumentis & leguminis granis dicitur. *ie co mi*, granum ordei.

Uſus te plura docebit.

§. 6. *De Nominibus Poſitivis, Comparativis, Superlativis.*

IAM ſuprà dixi, Poſitivis litteram addi à Sinis, qua Nomina determinantur, ut rem ſimpliciter abſoluteque ſignificent, ut *co ça*, fructus; *ſam cu*, domus, &c.

Comparativa autem fiunt per particulas, e. g. *kem*, quæ præponitur Nominibus, ſignificat multò magis; *kem hao*, multò melior: ſæpe fit per particulam *to*, id eſt multùm, & hæc poſtponitur ſemper Nomini, *hao to*, *iuen to*, bonus multùm, diſtans multùm, quod dicitur melior, diſtantior. Sæpe utuntur particula *quo*, id eſt, ſuperat ipſum, & idem ac ſi dicas, melior eſt ipſo.

Superlativum tam quod in ſummo quàm quod in infimo, fit etiam per particulam, e. g. *ciue*, id eſt, omnino, quæ & præponi & poſtponi Nominibus poteſt; unde rectè dicitur, *ciue hao*, vel *hao ciue*, omnino, totaliter bonus, optimus; *ciue ſiao*, vel *ſiao ciue*, minimus. *Te kin* particula etiam ſuperlativum facit: *hao te kin*, optimè; *ta te kin*, maximus, &c. *pu hao te kin*, peſſimus; *ſiao te kin*, minimus.

§. 7. De Pronominibus Appendix.

PRonominum varietas apud Sinas ex ſe non datur, ſi aliqua excipias: unde per ipſam locutionem quibus noſtris reſpondeant, patet ex ſequentibus.

Primitiva ſunt *ngo*, *ni*, *ta*, ille, ipſe; *che*, *co*, hic, is, iſte.

Derivativa fiunt per particulam *tie*, e. g. *ngo tie* meus; *ni tie*, tuus; *ta tie*, ſuus. Verùm noſter & veſter addtâ particulâ plurales fiunt, e. g. *ngo men tie*, noſter; *ni men tie*, veſter.

Poſſeſſiva à derivativis non differunt, imò & gentilitia, niſi quod poſtponatur nomen patriæ, regni, urbis, &c. *ngo tie que*, meum regnum; *ngo tie fu*, mea civitas, &c.

FINIS.

中

庸